



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Horologium Spirituale Scholasticorum Societatis Jesu

Dirckinck, Johann

[Osnabrugi, 1696

Fabricandi Horologium passionis Domini.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55025)

PRAXIS II.

*Orandi Litanias B. M. V.*

I. **N**E ob varia in recreatione audita, ut fit, distraharis, in itu paulisper mentem collige, & B. Virginem à te invocandam cogita.

II. Recita has Litanias præmissa certâ intentione, v. g. pro flore Societatis, pro impetranda virtute aliqua aut perseverantia. P. Leonardus Lessius quotidie Litanias Virgineas recitabat, ut in Societate perduraret.

III. Recita eas in præsentia Dei, prostratus coram SSS. Trinitate, & coram B. V. quasi titulis singulis eam alloquendo, & petendo, ut oret pro nobis, & hoc, quod intendimus, obtineat; idq; cum filiali fiducia, ob triplicem coronam ejus, Potentię, Sapientię & Bonitatis seu charitatis, quâ in cœlo à Patre, Filio, & Spiritu Sancto coronatur.

PRAXIS III.

*Fabricandi Horologium Passionis Domini.*

I. **E**Xemplo S. Borgiæ, P. Carraxæ, Alphonsi Rodriguez & aliorum, in aliqua figura quadrata lineis ductis, in 18. ho-

ras distincta, singulis horis unum mysterium adscribe. v. g. Hora 4<sup>ta</sup>. *Christus orat in horto.* Hora 5. *Sudat sanguinem.* 6. *Capitur.* 7. *In domo Annae alapa percutitur.* 8. *In domo Caiphae blasphematur.* 9. *In domo Pilati filet.* 10. *In domo Herodis illuditur.* 11. *Barrabba postponitur.* 12. *Flagellatur.* 1. *Spinis coronatur.* 2. *Ad mortem condemnatur.* 3. *Crucifigitur.* 4. *Felle potatur.* 5. *Orat pro inimicis.* 6. *Moritur.* 7. *Lancea latus transfigitur.* 8. *De cruce deponitur.* 9. *Sepelitur.*

II. Nota hæc passionis Dominicę mysteria, non respondere tempori, quo gesta sunt, sed memorię gratiã, hoc ordine descripta esse.

III. Usus Horologii in eo consistit, ut cum S. Borgia, omni hora, v. g. ad horæ sonum, præscriptum mysterium in memoriam revoces & saltem unū affectum mysterio congruentem elicias. v. g. *Christus orat in horto*: orationem vel meditationem tuam cum ejus oratione conjunge. *Sudat sanguinem*: vel unicam ejus guttam tibi applicari postula. *Capitur, ligatur*: Pete, ut vincula peccatorum tuorum rumpat,

pat,

pat. *Alapam accipit* ; pete ut ignoscat tibi, quod tot ei alapas peccatis tuis inflixeris. *Silet* ; pete silentium, & sic de reliquis. Ut hac ratione paulatim totus tibi figatur in corde , qui pro te totus suffixus est in cruce.

### PRAXIS IV.

#### *Fabricandi Horologium Sanctorum.*

I. **H**orologium Sanctorum Patronorum, in eadem figura quadratâ, de qua ante dictum, sed una linea intersectâ, describes. Ita ut singulis horis unus Patronus respondeat. v.g. Horæ 4<sup>ta</sup> B. V. 5<sup>ta</sup> S. Angelus C. 6. S. Joannes Baptista. 7. S. Josephus, &c. Ejusmodi Horologium sibi fabricaverat R. P. Mauritius de Büren, sed horam duodecimam, tanquam cor diei, Jesu, cui omnia debentur, consecrabat.

II. Usus hujus Horologii in eo situs est, ut omni hora, v. g. ad ejus sonû, designato sancto te commendes, gratiam petas horam istam sanctè pro æternitate secura impendendi, vel gratiam vitia & peccata extirpandi, vel magnos in virtute progressus faciendi, & perfectionem adipiscendi. Aut quid simile.